







*L. F. F. L. S.*  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
CELEBERRIMI AUTORIS

De  
**RATIONE STATUS**  
Dissertationem XXIII. & XXIV.

De  
**JURE EMIGRANDI ET TOLE-**  
**RANTIA DISSIDENTIUM,**

Deque  
**TERRITORIALI POTESTATE CIR-**  
**CA REGIMEN SECULARE,**

Item de  
**FORMA ET REFORMATIONE AC**  
**DECREMENTO IMPERII,**

Cum adjuncta *Qvæstione*

*Quid sit accidens Prædicamentale?*

*Quid attributum & modus Cartesianorum?*

Publicè ventilabunt

*Die II. Novembris M DC XCIII, horis antemer. à X. ad*

*XII. & pomeridianis à III. ad V.*

**CHRISTIANUS THOMASIUS,**

& Respondens

**ANTHONIUS GÜNTHERUS Winckelmann/  
Oldenburgerensis.**

---

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis CHRISTOPHORI SALFELDH, REGIMINIS ELECT.  
BRANDENB. Typ.











QVÆRO XII.

Quid est accidens prædicamentale?

Quid attributum & modus Cartesianorum?

Ego nescio.

§. I.



Uæsiuimus quæstione I. quid sit Substantia? Hactenus nemo certam definitionem nobis tradidit. Liceat jam progredi ulterius, & quærere etiam de accidente. Communis enim Peripateticorum doctrina est: Ens esse vel substantiam vel accidens. Communis doctrina est, accidens esse vel prædicabile vel prædicamentale. Prædicabile, quod opponitur rei essentia, prædicamentale, quod opponitur substantia. De prædicamentali autem nobis sermo est. Utrumque accidens Græcè *συμβεβηκός* dicitur: Uti utrumque quod utrique huic accidenti ex communi doctrina opponitur, (scilicet essentia & substantia,) Græcè *ἁρτία* audit.

§. II.

Atque hîc præmoneo, me distinctionem illam inter accidens prædicabile & prædicamentale, inter substantiam & accidens, supponere atque indulgere Peripateticis, utrumque dari. Nam multas aliàs possem afferre rationes, cur jure dubitem, an unquam Aristoteli fuerit cognita Substantia ab Essentia diversa; & adeò, an unquam cognitum fuerit ipsi accidens prædicamentale diversum à prædicabili. *ἁρτία* regulariter essentiam denotat, & ita apud Platonem communiter sumitur. Reddenda

A 2

ergò



ergo foret ratio Peripateticis, cur vocem *ἐσίας* apud Aristotelem per *substantiam* explicaverint, & hanc substantiam *essentia* contradistinxerint, cum tamen loca, ubi Aristoteles de *ἐσία* ex professo loquitur, ut in categoriis, capite *περὶ ἐσίας* & in lib. 4. *Metaphys.* c. 8. *ἐσία ποσαχῶς λέγεται* commodissimè possint de essentia etiam intelligi, (præprimis si notes, essentiam vel sumi pro ipso ente reali, vel pro idea, quâ homo ens reale concipit.) Ex quo capite obiter in usum sequentium illud notes, quod Aristoteles videatur *ἐσίαν*, quam vulgo substantiam reddunt, restringere ad corpora. Deinde quod accidens artinet prædicamentale, in ipsis categoriis, ubi tamen sedes materiæ erat de accidente prædicamentali, sive de prædicamento accidentis, nihil apud Aristotelem deprehendi. In lib. 4. *Metaphysicorum cap. 30. seu ult.* iterum ex professo de accidente tractat: quot modis dicatur accidens: & incipit: *Accidens est, quod inest alicui.* Sed videtur mihi & hoc caput saltem de accidente prædicabili loqui, quamvis verba ultima dicti capituli sint maxime obicura. Certè non arbitror perspicuè posse doceri, intelligi accidens tale, quod sub se comprehendat novem categorias reliquas.

§. III.

Sed uti dixi, transeat illa quæstio de Aristotele. Concedo Peripateticis dari accidens prædicamentale, & exemplum do: quantum, quale &c. Quoniam autem potest his oriri, utrum ens aliquod debeat ad substantiæ an accidentis classem locari, nec possum lite n istam dirimere sine justa definitione, quæro, quid est accidens? Non pigebit autem hîc ea præmonuiss, quæ notavimus §. *preced.* Si enim Aristoteles ignoravit istud accidens prædicamentale, neque definitio ejus etiam quærenda est apud ipsum. Ergo quæramus apud Sectarios Aristotelis. Ita vere communiter definiunt: *Accidens prædicabile est, quod potest adesse & abesse sine subjecti corruptione.* Desumpta est hæc definitio ex Isagoge Porphyrii, deque ea nihil addo. *Accidens prædicamentale est, quod inest alii (i. e. substantiæ) tanquam subjecto.* Unde hæc definitio fit, nescio. Si ex libro 4. *Metaph.* c. 30. esse debet, recurrit objectio mea in §. 2. Sed fit, unde fit: quæro rursus, quid est: *in esse alicui tanquam subjecto?* Respondent: *ita in esse alicui res ut sine,*



ut sine illa re non sit. Ita communiter explicatur. Hic ingenuè fateor, me nescire, quid dicant, imò videri potius, falsam esse definitionem accidentis,

§. IV.

Hoc ut intelligatur eò melius, suppono jam, novem reliquas categorias esse debere accidentia prædicamentalia. Ad *quantitatem* refertur oratio, numerus, tempus, locus. (an bene? jam non disputo.) Locus non inest rei, sed est extra rem; tempus & numerus rebus non insunt, nam v. g. dum sum quadraginta annos natus, quadraginta anni non insunt mihi, sed perierunt, dum sum tertius in ordine aliquo, tertium illud vel numerus ternarius mihi non inest. Oratio ore prolata, quæ hîc intelligitur, antequam proferretur, inerat mihi quidem, sed prolata, non amplius inest. Inter *qualitates* forma & figura non inest rei, sed eam terminat, & ideo, quia terminat, extrinsecum quid dicitur. Qualitates sensiles malè dicuntur inesse rebus, cum jam dudum à novioribus demonstratum sit, v. g. nullum colorem esse in re, sonum, humidum, calorem, frigus &c. provenire à motu rei, aut dispositione externâ partium. *Relatio* non inest rei, quia vi ejus res refertur ad aliam extra se. *Actio*, certè transiens est motus proveniens à substantia, ergo non inest; *Passiones* pleræque tangunt saltem substantiæ extrinsecum, ergo non insunt. *Quando & Ubi* pertinent ad tempus & locum, de quibus jam diximus. *Situs* non inest, neque enim sessio, neque ambulatio, neque statio mihi inest. *Habitus* non inest. Si nudus sum, nihil inest, si vestitus sum, extra me quid est; si calceatus sum, nec calceus nec calceatio insunt. Et tamen hæc omnia sunt accidentia. Ergo vel accidentia non insunt substantiis, vel non intelligo, quid sit inesse, & justam causam habeo quærendi definitionis istius explicationem.

§. V.

Ulterius. Si accidens est, quod est in alio tanquam in subjecto, sequitur *substantiam esse accidens*. Si id, cui alterum inest,



tanquam subiecto, est substantia, sequitur *accidens esse substantiam*. Probo consequentiam utramque uno exemplo. Creaturæ omnes sunt in loco & tempore, tanquam in subiecto. Ergo locus & tempus erunt substantiæ, & creaturæ accidentia. Probo, quod sint tanquam in subiecto, quia sine loco & tempore nullæ creaturæ esse possunt. Probo, quod non esse possint, quia per *esse* hîc (in propositione: Id est in alio tanquam in subiecto, quod sine illo alio *esse* non potest,) non intelligitur concipi, sed *existere*. Nam virtus, albedo &c. concipi potest sine respectu ad aliquod subiectum, sed non existit sine subiecto. At verò nec creaturæ existere possunt sine tempore & loco. Ergo rursus non intelligo, quid sit accidens prædicamentale.

§. VI.

Nescio, an has difficultates subodorati fuerint Cartesiani, quod communiter cum magistro suo abstineant voce *accidentis*, & loco ejus *modi* aut *attributi* vocem adhibeant. Utinam verò per istos terminos modi & attributi rem non implicent magis quam explicent. Ipsorum singulorum sententias evolvere nolo, quia dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Ita verò Cartesius *Part. 1. Princip. Philos. n. 48. seq.* (1) *Quæcumque sub perceptionem nostram cadunt, vel tanquam res rerumve affectiones quasdam consideramus, vel tanquam æternas veritates, nullam existentiam extra cogitationem nostram habentes.* (2) *Ex iis, quæ tanquam res consideramus, maxime generalia sunt substantia, duratio, ordo, numerus, &c.* (3) *Non autem plura quam duo summa genera rerum agnosco, unum est rerum intellectualium &c. sive ad substantiam cogitantem pertinentium; aliud rerum materialium, sive quæ pertinent ad substantiam extensam, &c.* (4) *Cum autem agnoscimus, fieri non posse, ut ex nihilo aliquid fiat, tunc propositio hæc: Ex nihilo nihil fit, non tanquam res aliqua existens, neque etiam ut rei modus consideratur, sed ut veritas quædam æterna, quæ in mente nostra sedem habet, vocaturque communis notio, sive axioma. Cujus generis sunt, impossibile est idem simul esse & non esse &c.* (5) *Quantum autem ad ea, quæ tanquam res vel rerum modos spectamus, operæ pretium est, ut singula seorsim conside-*



consideremus. Per substantiam nihil aliud intelligere possumus &c. (vid. quæ excerpimus quæst. 1. thes. 5.) (6) Ex quolibet attributo substantia cognoscitur, sed una tamen est cujusque substantie præcipua proprietas, quæ ipsius naturam essentiamque constituit, & ad quam alie omnes referuntur. Nempe extensio in longum, latum & profundum substantie corporeæ naturam constituit, & cogitatio constituit naturam substantie cogitantis &c. (7) Duratio, ordo & numerus à nobis etiam distinctissimè intelligentur, si nullum iis substantie conceptum affingamus, sed putemus, durationem rei cujusque esse tantum modum, sub quo concipimus rem ipsam, quatenus esse perseverat, & similiter nec ordinem nec numerum esse quicquam diversum à rebus ordinatis & numeratis, sed esse tantum modos, sub quibus illa consideramus. (8) Et quidem hæc per modos planè idem intelligimus, quod alibi per attributa vel qualitates. Sed cum consideramus substantiam ab illis affici vel variari, vocamus modos, cum ab ista variatione talem posse denominari, vocamus qualitates, ac denique cum generalius spectamus, tantum ea substantie inesse, vocamus attributa. Si verba adspicias, videtur hæc omnia Cartesius clarè & distinctè proposuisse, si rem, ego quidem fateor, me nihil planè intelligere, neque graviter ferent Cartesiani, si ipsis sequentia proponam dubia, occupata circa istas quatuor voces, quibus hæc utitur Cartesius: Res, rei modus, attributum, aeterna veritas.

#### §. VII.

Quæro I. An aeterna veritas differat à re & rei modo? Videtur affirmandum, ob verba expressa in n. 1. & 4. excerptorum. Videtur negandum, quia dicit Cartesius, utrobique eas in mente nostra sedem habere, ergo sunt modi mentis. Quæro II. An res & substantia sunt idem? Videtur affirmandum ob num. 3. item num. 5. verbo: seorsim, junctis verbis: Per substantiam autem. Videtur negandum, quia sub re comprehenditur duratio, ordo, numerus, n. 2. quæ non sunt substantiæ n. 7. Quæro III. An res & rei modus differunt? Videtur affirmandum, ob n. 1. 3. 5. 8. Videtur negandum, quia duratio & res est per n. 2. & rei modus per n. 7. Quæro IV. An modus, attributum &c. idem est cum eo, quod vulgò dicitur accidens? Videtur affirmandum per n. 8. & potissi-



potissimum ibi verba finalia. Videtur negandum, quia duratio, numerus &c. sunt accidentia, & tamen sunt Cartesio res ipsa durans & numerata n. 7. Quæro V. An attributum & modus differunt realiter? Videtur negandum, per n. 8. Videtur affirmandum, per n. 6. & quia communiter à Cartesianis attributum dicitur aliquid nobilius esse modo. Quæro VI. An attributum sit res an rei modus? Videtur esse ipsa res, quia Cartesius alibi dicit: mentem & corpus, quæ sunt res per n. 3. esse ipsam cogitationem, ipsam extensionem, quæ sunt attributa per n. 6.

§. IIX.

Si hæc dubia non resolvant Cartesiani, tota earum philosophia non intelligi potest, ut quæ his notionibus est superstructa. Puto autem esse talia dubia, quæ non aliter resolvi possint perspicuè, quam si clara & distincta definitio rei, attributi, & modi detur, quam quæro.

§. IX.

De usu verò quæstionis præsentis non puto esse, quod rideant Philosophi Peripatetici, (quamvis aliqua Facultas talis Philosophica in Academia quâdam vicinâ, censurâ suâ approbaverit risum nonnemini intempestivum super quæstione, quid sit substantia?) Si enim dubia mea non resolvant, fortè quæstiones meæ, si ita, uti incepti, sim perrecturus, destruerent possent omnia eorum prædicamenta, & imò totam scalam prædicamentalem substantiæ, cui tota eorum Physica & Pnevumatica est superstructa.

TANTUM.





00 A 6336

ULB Halle 3  
002 928 728




56.

V D 17

Reho ✓









*Q. F. F. Q. S.*  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
CELEBERRIMI AUTORIS

De  
**RATIONE STATUS**  
Dissertationem XXIII. & XXIV.

De  
**JURE EMIGRANDI ET TOLE-**  
**RANTIA DISSIDENTIUM,**

Deque  
**TERRITORIALI POTESTATE CIR-**  
**CA REGIMEN SECULARE,**


Item de  
**FORMA ET REFORMATIONE AC**  
**DECREMENTO IMPERII,**

Cum adjuncta *Qvæstione*  
*Quid sit accidens Prædicamentale?*  
*Quid attributum & modus Cartesianorum?*

Publicè ventilabunt  
*Die II. Novembris M DC XCIII, horis antemer, à X, ad*  
*XII. & pomeridianis à III. ad V.*

**CHRISTIANUS THOMASIUS,**  
& Respondens  
**ANTHONIUS GÜNTHERUS Winckelmann/**  
**Oldenburgensis.**

HALÆ MAGDEBURGICÆ  
Typis CHRISTOPHORI SALFELDI, REGIMINIS ELECT.  
BRANDENB. Typ.



allat  
yam  
ont  
vid  
Fall  
nor  
tege  
tra  
invi  
alfa  
Sc  
a Sce  
eft,  
bus  
ere  
Ad  
ercep  
enè,  
D. F  
m. S  
on  
ath  
dul  
am.  
is  
ilof  
de r  
fopl  
A

